DE VITA

CLAUDII CLAUDIANI POETAE.

K. HECK.

Beilage zum Programm des Grossh. Progymnasiums in Donaueschingen.

1896. Programm Nro. 615.

TÜBINGEN.
Druck von H. Laupp jr.
1896.

Romani imperii, quo tempore ad occasum vergebat, literas si consideramus, maxime omnium oculos in se convertit Claudius Claudianus, clarissimus poeta ultimumque Romanae poesis lumen ac decus. Exstitit tum, cum bella, tumultus omnia turbabant et infestabant. Nam eo ipso tempore floruit, quo subitus antea ignotae barbarae gentis equestris Hunnorum in Europam orientalem adventus omnia movit et terruit et omnia, quae erant, ruere et, quod restabat eruditionis humanitatisque, exstinguere et eorum loco barbariem afferre videbatur. Atque tempora priora et tristissima imperii condicione et imperatorum plurimorum nequitia perditisque moribus quam minime erant idonea ad litterarum studia augenda et excitanda. Itaque extrema Romani imperii occidentalis tempora omnibus fere poetis carent, qui poetae nomine sint digni, quum, qui poetae dicuntur, non nisi priorum fuerint imitatores et principum adulatores. Imitabantur priorum formam et figuras, ingenium evaserat. Elegantes politosque versiculos facere et figuras suavissimas componere summum erat. Atque illud, quod inprimis Alexandrinorum poetarum fuisse constat, in Romanos quoque irrepserat, doctrina eruditioneque ostentanda ingenii nativi penuriam occultare. Quibus vitiis Claudianus etiamsi non liber fuit, tamen excellit ingenio vivido, ardore animi, studio Romanae pristinorum temporum maiestatis — (Romam) „armorum legumque parentem“ appellat — omnium rerum scientia, robore et ornatu dicendi, abundantia dictorum acutorum, imaginum descriptionumque elegantia, ut haud immerito ultimus poeta Romanorum habeatur.

De vita illustrissimi poetae, etsi opera ab aequalibus magni aestimabantur, a viris doctis posteriorum temporum usque ad saeculum sextum decimum summa cum oblectatione ac studio legebantur et tractabantur, historicis erant fons gratissimus, tamen pauca sunt cognita oculis exiguo tredecim annorum spatio aperto, et de ineunte et de exeunte aetate vix quidquam certi reperias. Patria quidem poetae ipsius e carminibus concludi potest; at quando sit natus et quando et quomodo et ubi mortuus, crassis tenebris occultatum et circumfusum latet, neque ulli sunt aequalium scriptorum fontes, ex quibus haurire possimus. De patria ipsa magna fuit dissensio, quum alii Florentinum, alii Gallum, alii Hispanum Claudianum esse iudicarent. Qui Florentinum eum fuisse nullo vetustatis documento volunt, nihil aliud afferre possunt nisi praefationem libri secundi de raptu Proserpinae, qui ad Florentinum inscribitur, et elegiam, quae sub Claudiani Florentini nomine exstat.

Quam absurda ea sit opinio, quum neque in Claudiani operibus, quae relicta sunt, neque ab aequalibus Florentiae fiat mentio, elucet. Auctores erroris, quem modo dixi, sunt posteriores, Petrarca aliique, qui Claudianum et Florentinum unum eundemque esse et hoc cognomen a nomine patriae illius derivatum putarunt.

Florentino, viro clarissimo, qui an. post Christ nat. 396. praefectus urbis fuit et cuius liber de re rustica apud Graecos studiose legebatur, familiaritate coniunctus erat Claudianus. Praefatio ipsa nihil indicat nisi poetam, ut Orpheus cantu aliquamdiu intermisso ab Hercule ad lyram sumendam excitatus est, sic a Florentino ad opera continuanda esse permotum. Elegia autem, quam modo dixi, alterum auctorem suspicari cogit, praesertim cum aliquot alia carmina Claudianea, quae christiano spiritu sunt scripta, pariter alteri Claudiano tribuantur.

Omnino vero, qui Claudianum in Gallia natum sumunt, fabulantur. Nec minus falso hic poeta pro Hispano habetur. Nam ipso patrio sermone; quum poeta, priusquam in Italiam venit, Graeca lingua cecinisset, Italia, Gallia, Hispania refutatur. Opinio orta est, quod Hispaniam, quaecunque occasio occurrit, summis laudibus effert. At vix quemquem Hispaniam propterea, quod Theodosii, Honorii, Serenae sit patria, laudari effugiet. Opinionis errorem, qua in Hispania Claudianum esse natum putant, Nic. Antonius bibl. Hisp. vet. III, 5, 114 pag. 200 ostendit et Alexandriae honorem vindicavit, cuius auctoritati hodie omnes assentiuntur, quum et certis locis Suidae nitatur — illud Sidonii Appolinaris carm. IX, 13 vers 274:

„(Non) Pelusiaco satus Canopo (tibi legetur)“ non repugnat — et Claudiani ipsius verbis confirmetur 39, 16:

Pellaeum iuvenem regum flexere ruinae;
Dareum famulis manibus doluisse peremtum
Fertur et ingenti solatus fata sepulcro.
Tradita captivo spatiosior India Poro.
Conditor hic patriae.

Quibus versibus lectis cui non in mentem venit Alexandriae? Nec minus dilucide 39, 56 idem docetur:

Audiat hoc commune solum longeque carinis
Nota Pharos flentemque attolens gurgite vultum
Nostra gemat Nilus numerosis funera ripis.

43, 1 alii argumento est:

Italiae commune decus, Rubiconis amoeni
Incola, Romani fama secunda fori,
Graiorum populis et nostro cognite Nilo.

Verba „nostro-Nilo“ opposita verbis „Italiae, Rubiconis“, „Romani fori“ „Graiorum“ et proprio sensu dicta sunt, non eodem, quo 18, 395:

Nostrum video, Germanice, Rhenum,

quo loco Roma terras Stilichonis armis domitas et pacatas numerat et ostentat.

Quod aliud argumentum Merianus et alii afferunt, eruditionem, si non patriam, at scholas Alexandrinas mihi ostendere videtur. Nam, quae supersunt, carmina, Graecas vel Alexandrinas scholas sapiunt, non minus quam Virgilium, Ovidium, alios poetas Romanos. Et Sidonii Appollinaris carmine ad Felicem, 9, 13 vers. 274, quo hunc poetam „Pelusiaco satum Canapo“ dixit, probatur; Canopi est natus, literis imbutus et eruditus Alexandriae.

Claverii opinio poetae patrem Claudianum philosophum illum fuisse, cuius mentio fit ab Eunapio in Maximo, magni momenti mihi esse non videtur, cum fundo careat; nomen enim idem idemque tempus vix accommodatum ad persuadendum reddere possunt testimonium. Qui Romano genere oriundum patrem Alexandriam demigrasse putant, nihil argumenti ad probandam opinionem

proferre possunt nisi nomen Romanum. Ex nomine scilicet libertinum patrem conici licet, et confluxit Alexandriam temporibus omnibus omne genus hominum, in his iam Caesaris aetate plerique Italici. At Sidonio Appolinare auctore patris domicilium Canopi erat, non Alexandriae, quae res potius indigenam indicare videtur. Quid? Ubi terrarum iis temporibus Latina nomina non inveniuntur? Quot libertini Latinis nominibus etiam barbaris gentibus nati toto orbi terrarum stipendiis factis consederant? Atque poeta, si genus Romanum Romanosque parentes iactare potuisset, haud dubie de stirpe non tacuisset. Neque minus dubium aut ad probandum tenue est, quod Gesnerus ex 39, 55 colligit, Claudianum Hadriani praefecti praetorio propinquum fuisse:

Irruat in miseros cognata potentia cives!

Nam verbum „cognata“ minus de propinquitate est dictum, sed propterea, quod Claudianus et Hadrianus eiusdem erant patriae, id quod satis dilucide ex ceteris eiusdem carminis locis apparet, inprimis ex 39, 53:

Scilicet insignes de paupere vate triumphos!

et ex 33:

Jam iam suppliciis fessos humilesque, serenus,
Respice! Quid tanta dignaris mole clientem?
In brevibus nunquam sese probat Aeolus antris,
Nec capit angustus Boreae certamina collis.
  Alpes ille quatit, Rhodopeia culmina lassat.
Incubuit nunquam coelestis flamma salictis,
Nec parvi frutices iram meruere Tonantis.
Ingentes quercus, annosas fulminat ornos.
  Hoc pro supplicibus ramis, pro fraude Minervae,
Hoc carmen pro ture damus.

Atque epistola omni Hadrianus vir potentissimus nobillissimusque, inops poeta pingitur, cui irasci Hadrianum dedeceat, inprimis vers. 8:

  Te tamen haud decuit paribus concurrere telis.
Humanae superos nunquam tetigere querelae,
Nec vaga securum penetrant convicia coelum.

Attamen ironiam quandam dissimulationemque pellucere me non fugit Et 39, 4 illud „Miserere tuorum“ familiaritatem, non propinquitatem ostendit, quod ex 39, 52 cognoscas:

Comitem me pelle sodalis!

Neque parvi momenti est, quod sero in Hadriani amicitiam venit. Atque si Hadriano cognatus vel affinis erat, qua re poeta impediri potuit, quominus primo Romam adventu Hadriani viri clarissimi ac potentissimi tutelam et favorem quaereret? Sero autem ad Hadrianum poetam esse deductum ipse 39, 31 monet:

Secuit nascentia fata
Livor.

Quod non ad priorem poetae aetatem spectat; nam post Stilichonis interitum, an. p. Chr. n. 408. epistola est scripta. At quae epistolae scribendae fuerit causa, infra, quantum poterimus, ostendemus. Neque ullo alio loco poeta Hadriani favorem commemorat, sed fautores praeter Stilichonem laudat alios. Auctores fortunae bonae celebrat Probinum et Olybrium fratres, quibus familiarissime eum usum esse argumento sunt epistolae ad Olybrium et Probinum scriptae, et quos primo carmine, quod Latina lingua scripsit, cecinit 42, 13:

Romanos bibimus primum te consule fontes
Et Latiae cessit Graia Thalia togae,
Incipiensque tuis a fascibus omina coepi
Fataque debebo posteriora tibi.
Ergo lacessitus tandem rescribe roganti!

Atque certe Claudiano Hadrianus, si cognatus fuisset, praesidio fuisset et commendasset neque poeta silentio id praeterisset.

Non ita magno loco natum esse Claudianum probatur, quod et de se parentibusque accuratius loquendi occasionem quamque omnino omittit et aliorum, quoscunque carminibus persequitur, copiosissime originem genusque describit neque se suaque admirandi vitio caret. Nam Stilichonis originem silentio praeteriri vel cursim commemorari, quod barbarico et minime amplo genere fuit, neminem effugiet. Atqui monendum est, ubicunque Claudianus se pauperem vatem humilemque vocat, poetam loqui, ut 40, 46:

Texit pauperiem nominis umbra tui.

Patrem non inopem fuisse facile intelliges, si poetae eruditionem doctrinamque consideraveris, quae sine magno sumptu parari non potuit. Etenim tanta fuit, ut sine dubio a nullo scientia litterarum sit superatus, et ubique artium elegantium et ingenuarum vestigia occurrunt; nam Alexandrinus quum sit, patrio more nullam litterarum studia ostentandi facultatem praetermittit.

Omnium rerum scientia instructus et poematum Graecorum expertus an. p. Chr. n. 395. Romae invenitur. At quae Romam vel in Italiam transmigrandi fuerit causa aut quomodo ad Stilichonem sit deductus, latet. Quo anno Romam advenerit et primo Latina carmina composuerit, ipse 42, 14 demonstrat:

Romanos bibimus primum te consule fontes
Et Latiae cessit Graia Thalia togae,
Incipiensque tuis a fascibus omina coepi.

Epistola est scripta ad Probinum, qui cum Olybrio fratre consul fuit an. p. Chr. n. 395. Verba „Graia Italia" i. e. Graeca poemata, quorum pauca supersunt, patrium sermonem et priorem sedem ostendunt, et ea carmina in orientis solis partibus, non in Italia sunt scripta. Nam virum litterarum doctrina praestantem atque omnium rerum peritissimum Latinae linguae, quae in foro, in senatu, in aula, in exercitu vigebat, non rudem fuisse, nemo negabit, ut non dicam litterarum Latinarum scientiam, cuius vestigia multa in Claudiani operibus occurrunt, animi inflammationem maiestatis Romanae pristinorum temporum, militis officium, quo in alias terras et in Italiam deductus esse videtur.

Auctumno anni p. Chr. n. 394. bellum contra Eugenium vel Arbogastem est gestum. Ad id gerendum imperator Theodosius I. omnia molitus erat et comparaverat et maximas copias ex omnibus orientis partibus coegerat 7, 64:

Interea turbata fides, civilia rursus
Bella tonant dubiumque quatit discordia mundum.
Barbarus Hesperias exsul possederat urbes
Sceptraque deiecto dederat Romana clienti.
Jam princeps molitur iter gentesque remotas
Colligit Aurorae, tumidus quascunque pererrat
Euphrates, quas lustrat Halys, quas ditat Orontes.

Turiferos Arabes saltus, vada Caspia Medi,
Armenii Phasin, Parthi liquere Niphaten.

Postquam Theodosius quarto mense post Eugenium fusum et trucidatum, primis anni 395. diebus Mediolani mortuus est, copiae, quae cum imperatore venerant, usque ad mensem septimum eiusdem anni in occidentis partibus remanserunt et pleraeque in Italia. In his certe Claudianus fuit; nam quo loco belli constra Eugenium gesti mentionem facit, optime singulas res pernovit et copiosius describit, ut eum interfuisse verisimile ac necesse sit; 7, 64 documento est et 7, 87:

Victoria velox
Auspiciis effecta tuis (Honorii). Pugnastis uterque,
Tu fatis genitorque manu. Te propter et Alpes
Invadi faciles. Cauto nec profuit hosti.
Munitis haesisse locis. Spes irrita valli
Concidit et scopulis patuerunt claustra revulsis.
Te propter gelidis aquilo de monte procellis
Obruit adversas acies revolutaque tela
Vertit in auctores et turbine repulit hastas.
O nimium dilecte deo, cui fundit ab antris
Aeolus armatas hiemes, cui militat aether
Et coniurati veniunt ad classica venti.
Alpinae rubuere nives et frigidus amnis
Mutatis fumavit aquis turbaque cadentum
Staret, ni rapidus iuvisset flumina sanguis.
At ferus inventor scelerum traiecerat altum
Non uno mucrone latus duplexque tepebat
Ensis et ultrices in se converterat iras
Tandem iusta manus.

Hostes vehementissima procella turbatos et fusos esse a rerum scriptoribus christianis verbosius enarratur; legitur apud Paulum Orosium in hist. adv. pag. VII, 35 et apud Augustinum de civitate dei VII, 26. Neque ignorat Honorium confestim post victoriam a Theodosio Mediolanum accessitum celerrime iter fecisse, 7, 106:

Quamvis emeritum peteret natura reverti
Numen, ...
Distulit Augustus cupido se credere coelo,
Dum tibi pacatum praesenti traderet orbem.
Nec mora: Bistoniis alacer consurgis ab oris etc.

Iter uberius describitur, quod afferre longum est. Ultimum colloquium Theodosii cum Stilichone habitum 7, 141 enarrat:

Ut ventum ad sedes, cunctos discedere tectis
Dux iubet et generum compellat talibus ultro:
Bellipotens Stilicho, cuius mihi robur in armis,
Pace probata fides etc.

15, 292 Theodosii morientis curas tractat:

Cum divus abirem,
Res incompositas, fateor, tumidasque reliqui.
Stringebat vetitos etiamnum exercitus enses
Alpinis odiis alternaque iurgia victi
Victoresque dabant. Vix haec amentia nostris
Excubiis, nedum puero rectore quiesset.
Heu quantum timui vobis, quid libera tanti
Militis auderet moles, cum caeca remoto
Ferveret iam laeta metu. Dissensus acerbus,
Sed gravior consensus erat.

Stilichonis iter, quo statim Theodosio mortuo Germanos paucis diebus pacavit, omne ordine enarrat 21, 195:

Transcurrens egit Stilicho totidemque diebus
Edomuit Rhenum, quot vos (Drusus, Traianus) potuistis in annis.
Quem ferro, alloquiis, quem vos cum milite, solus
Impiger a primo descendens fluminis ortu
Ad bifidos tractus et iuncta paludibus ora
Fulmineum perstrinxit iter. Ducis impetu undas
Vincebat celeres et pax a fonte profecta
Cum Rheni crescebat aquis. etc.

Idem 21, 215:

Omne, quod oceanum fontesque interiacet Istri,
Unius incursu tremuit. Sine caede subactus
Servitio Boreas exarmatique Triones.
Tempore tam parvo tot proelia sanguine nullo
Perficis et luna nuper nascente profectus
Ante redis, quam plena fuit.

Idem 8, 440:

Rhenum pacare iubes. Volat ille citatis
Vectus equis nullaque latus stipante caterva,
Aspera nubiferas qua Rhetia porrigit Alpes,
Pergit et hostiles, tanta est fiducia ripas
Incomitatus adit. Totum properare per amnem
Attonitos humili reges cervice videres,

Idem 449:

Juratur Honorius absens
Imploratque tuum supplex Alamannia nomen.

Idem 455:

Nobilitant veteres Germanica foedera Drusos;
Marte sed ancipiti, sed multis cladibus emta.
Quis victum meminit sola formidine Rhenum?
Quod longis alii bellis potuere mereri,
Hoc tibi dat Stilichonis iter.

Quas res modo dixi, paulo post Theodosii mortem sunt factae. Et quamquam ab aliis audita narrat, tamen, si procul abfuisset neque ipse in castris adfuisset, minus accurate exponere posset. Atque inscriptione statuae, de qua infra disseremus, Claudianum tribunum — trib. militum — fuisse docemur. Quam inscriptionem genuinam esse omnes hodie consentiunt, praesertim quum poeta ipse commemoret 25, 8:

Sed prior effigiem tribuit successus ahenam,
Oraque patricius nostra dicavit honos.

Quodsi poeta hoc loco effigiem et honorem patricium carminibus se consecutum esse pronuntiat, tribuniciae dignitatis mentionem non facit, haud dubie iam antea tribunus fuit. Si antea honore tribunicio fuit, hunc militia sola meruit. Dignitatem non inane nomen fuisse intelliges, quum aulica dignitas Claudiani notarii esset, quae ordine senatorio exornabat. Duo autem munera esse ex inscriptionis ipsius verbis „tribuno et notario“ cognosces, quae tribunum notariorum intelligi vetent. Atque poeta ipse duos honores, ubicunque commemorat, seiungit, ut 30, 5 et 6:

Hic socius, dux ille mihi nostrique per aulam
Ordinis hic consors emicat, ille prior.

30, 8 „militis obsequio“ militem significat; idem 39, 51 et 52 monstrant:

Eripe calcatis non prospera cingula musis.
Eripe militiam. Comitem me pelle sodalis,

idem 16, 6:

Tota(que) iam vatis pectora miles habet.

Neque vero Claudianus post adventum Romam vel in Italiam arma sumsisse ex praefatione in lib. III. de consulatu Stilichonis colligitur, ubi se cum Ennio, comite Scipionis maioris, comparat 23, 21:

Noster Scipiades Stilicho, quo concidit alter
Hannibal,

et ex 23, 23 et 24:

Te mihi post quinos annorum, Roma, recursus
Reddidit et votis iussit adesse suis.

Quae omnia, idem tempus, poetae accurata eius belli earumque, quae secutae sunt, rerum cognitio, honos tribunicius, quo iam adolescentulus praeditus erat, itinera, quae summa geographicarum rerum scientia uberius describit, peritia rei militaris eum militasse et bello contra Eugenium vel Arbogastem gerendo interfuisse evincunt.

Eodem adventus anno Latina carmina facere coepit, ut ipse 42, 14 docet:

Romanos bibimus primum te (Probino) consule fontes
Et Latiae cessit Graia Thalia togae,
Incipiensque tuis a fascibus omina coepi.

Carmen, quod Claudianus dicit, exstat; panegyricus est in Probini et Olybrii fratrum consulatum. Ii Aniciae gentis erant, filii Probini illius, quem ut viderent, duos regulos ex Asia Mediolanum venisse Paulinus in vita Ambrosii memoriae prodit. Utroque familiarissime Claudianus utitur; supersunt duae epistulae, altera ad Orybrium, altera, cuius tres versus modo attuli, ad Probinum scripta.

Quod Merianus eos Claudiano, ut Latina carmina componeret, persuasisse suspicatur, nihil opposuerim, cum versus, quos attuli, eius opinioni non obstent, quamquam certa ad eam proban-

dam desunt testimonia. Utriusque favore et gratia, ut ipse fatetur, provectus et sine dubio Stilichoni, qui Claudiano auctore a litteris non alienus erat, est commendatus. Nam gens Anicia iis temporibus longe prima erat, vix imperatoribus inferior; floruit opibus et gloria maiorum ex imperatoris Diocletiani aetate usque ad imperii Romani occidentalis occasum. Atque Probinum et Olybrium ipsos non parvae auctoritatis fuisse sequitur, quod senatu petente, quum adulescentes essent, consules una sunt lecti. Quorum auctoritate gravitateque eodem anno, quo advenerat, ad Stilichonem deductus est, cuius favore et praesidio usque ad eius interitum est usus. Quinque annos, qui sequebantur, quod spatium temporis Stilicho paene continuum Mediolani degebat, ab eo non discessisse Claudianum et consulari Stilichonis anno cum eo Romam redisse ex 23 inprimis 23, 20 apparet:

Noster Scipiades Stilicho, quo concidit alter
  Hannibal, antiquo saevior Hannibale.
Te mihi post quinos annorum, Roma, recursus
  Reddidit et votis iussit adesse suis.

Stilichonem autem Romam venisse, postquam consul factus est, carminibus 22 et 24 reperies, et priorem Stilichonis consulatum fuisse 22, 232 docemur:

Tantum(que) suos invidit honores?
Augusti potuit soceri contemnere fasces:
Jam negat et genero,

et 22, 244:

Cur nondum legitur fastis? Cur pagina tantum
Nescit adhuc nomen, quod iam numerare decebat?

Annum consulatus Rel. fasti quadringentesimum constituunt. Stilichone et Serena uxore et clarissimis viris ceteris et principibus fautoribus se usum esse magna voce poeta praedicat. Documento sunt cum plures loci operum, tum epistola ad Serenam scripta, quod sponsae divitis conciliatrix fuit, epistolae ad Probinum, ad Olybrium, quorum utrumque, ut scribat, monet, ad Hadrianum, ad Gennadium. Summae laudes fautoribus tribuuntur, inprimis Stilichoni. Cuius laudandi studiosissimus fuit et virtutem laudibus exaggerat. Adulationem tamen vituperent ii, qui adulationi non indulserint ipsi. In aula regia quoque versatum esse atque Honorio ipsi se placuisse 6, 15 commemorat;

Me quoque Pieriis tentatum saepius antris
  Audet magna suo mittere Roma deo.
Iam dominas aures, iam regia tecta meremur,
  Et chelys Augusto iudice nostra sonat.

Quibus versibus Claudianum ad imperatorem deductum et iam probatum esse, priusquam eo honore dignus habitus esset, toto carmine illustratur. Quod vero anni spatio ad aulam provectus est, non solum carminibus, sed etiam fautorum gratiae debuit. Scriptum enim est carmen an. p. Chr. n. 396., Honorii tertii consulatus anno. Quod Gesnerus e verbis „mittere audet“ Claudiano consalutandi ac gratulandi munus a senatu mandatum esse colligit, non assentiar; nam verba „dominas aures-chelys Augusto iudice nostra sonat“ propria vi musarum artem indicant, et consalutationes ab illustrissimis patribus ipsis summisque magistratibus fiebant. Eo quinquennio, ex anno 395. usque ad annum 400., plurima, quae exstant, carmina scripsit. Nam haud difficulter e multis, quo unumquodque anno sit factum, cognosci potest, ita 395. panegyricus in Probini et Olybrii

consulatum, eodem anno post Rufini occasum, qui septimo anni 395. mense trucidatus est, carmina in Rufinum, 396. panegyricus in III. et 398. in IV. Honorii consulatum. Eiusdem anni sine dubio est carmen de nuptiis Honorii et Mariae et fescennina et 399. alterum carmen in Eutropium: nam Eutropio vivo id esse scriptum e toto carmine apparet; eo mortuo carmen de bello Gildonico factum esse ex 15, 4 cognoscimus:

Concordia fratum
Plena redit.

Entropio enim vivo Honorius et Arcadius discordes erant, quum Eutropius Gildonis consiliis indulsisset et praevaricatus esset, quod Claudianus 18, 396 commonet:

Discors oriens felicibus actis
Invidet atque alio Phoebi de cardine surgunt
Crimina, ne toto conspiret corpore regnum.
Gildonis taceo magna cum laude receptam
Perfidiam et fretos Eoo robore Mauros,

et 15, 236:

In fratres medio discordia Mauro
Nascitur, et mundus germanaque dissidet aula?
Gildonisne salus tanti sit palma furoris?

et 15, 257:

Tali te credere monstro
Post patrem fratremque paras? Sed magna rependit
Inque tuam sortem numerosas transtulit urbes.
Ergo fas pretio cedet? Mercede placebit
Proditio? Taceo, laesi quod transfuga fratris.

Perfectum carmen Romae esse 25, 5 et ostendit neque antea carmen in Stilichonis consulatum scriptum esse opinari cogit:

Consulis hic fasces cecini Libyamque receptam
Hic mihi prostratis bella canenda Getis.

Sequitur panegyricus in consulatum Fl. Mallii Theodori, qui an. p. Ch. n. 399. fasces obtinuit, et alterum in Eutropium carmen cum praefatione; id factum esse, quum ipso consulari anno oppressus esset, 19, 9 docetur:

Illatas consul poenas se consule solvit.

Summa laus plaususque ac honores ab amicis fautoribusque poetae tribuebantur, quibus carmina legebat, ut magna voce exclamet 25, 6:

Prior effigiem tribuit successus ahenam,
Oraque patricius nostra dicavit honos.
Annuit hunc princeps titulum poscente senatu,

et 25, 12:

Carminibus veniam praemia tanta negant,

et 16, 1:

Audebisne, precor, doctae subiecta catervae
Inter tot proceres, nostra Thalia, loqui?

et elatius magnaque optimae mentis conscientia 16, 9:

2*

Omnibus audimur terris mundique per aures
Ibimus,

et 25, 3:

Optatos renovant eadem mihi culmina coetus,
Personat et noto Pythia vate domus,

et 25, 13:

Quod legimur medio conspiciumque foro.

Cui non in mentem venit Horatii illud:

Exegi monumentum aere perennius etc.?

40 se cum Orpheo comparat vers. 33:

Sed quod Threicio Juno placabilis Orphei,
Hoc poteris votis esse, Serena, meis.

At non solum arti poeticae, sed rebus a se cantatis vel canendis causam laudis plaususque tribuit 25, 5:

Materies tamen ipsa iuvat solitumque timoris
Dicturo magna sedula parte levat.
Nam mihi conciliat gratas impensius aures
Vel meritum belli vel Stilichonis amor,

et 16, 9:

Omnibus audimur terris mundique per aures
Ibimus. Ah nimius consulis urget amor.

Ab imperatore et patribus honoribus praecipuis habitus est; statua aëna posita est, cuius poeta ipse 25, 6 mentionem facit;

Prior effigiem tribuit successus ahenam.

Eius statuae inscriptio Romae quinto decimo saeculo in foro Traiani effossa, ubi testimonio inscriptionis statua posita est, etsi a viro docto quodam in dubium vocatur, tamen hodie ab omnibus genuina agnoscitur. Tabula Romae in domo Pompeiani Laeti, hodie Neapoli in museo Borbonico conservatur. In inscriptionum libr. num. 1182 eam reperies. Tabula e marmore rubra est facta, et quamquam literae rudi impolitoque sunt ductu, tamen, quum paucae litterae evanuerint aut mutilae sint, facile intelligitur. Inscriptio a viris doctis legitur:

Cl. Claudiano v. c. tribuno et notario inter ceteras vigentes artes praegloriossissimo poetarum; licet ad memoriam sempiternam carmina ab eodem scripta sufficiant, adtamen testimonii gratia ob iudicii sui fidem dd. nn. Arcadius et Honorius felicissimi ac doctissimi imperatores senatu petente statuam in foro divi Traiani erigi collo carique iusserunt.

Εἰν ἐνὶ Βιργελίοιο νόον
Καὶ μοῦσαν Ὁμήρου
Κλαυδιανὸν Ῥώμη καὶ
Βασιλεῖς ἔθεσαν.

Laesa est angusta sinistrae partis virga desuper, ut „Cl., bun, vi, p, p et f verbi „felicissimi“ omnino evanuerint, quas litteras restituere difficile non est, quum obtruncata verba ipsa litteras, quae consensu omnium fere virorum doctorum suppleta sunt, requirant. Obtruncata quoque est littera g in verbo vigentes, ut non satis, utrum c an g legendum sit, discernatur; idcirco Heinsius „decentes“ restituit, et aliis non minus inepte placet „ingentes“; neque enim utrumque adiec-

tivum ita coniunctum invenitur; quare ab peritissimis „vigentes" praefertur. Littera f in verbo „fidem" item cognosci non potest, utrum fuerit E an F; itaque vir doctissimus quidam legit „eidem"; at praepositio ob accusativum vindicat; quam ab causam „fidem" restituendum est. Mutilatio extremarum linearum tam levis est, ut sine ullo negotio verba nativa cognoscantur. Angustissima enim est rima, quae abtruncat f verbi „felicissimi", t. verbo doctissimo", priorem litteram o verbi „foro", r verbi collocariq(ue). Si lis est, utrum βασιλεῖς an βασιλῆς sit legendum, haud facile diiudicatur, quum, ut supra diximus, forma litterarum EI vel H non bene expressa, tempore non nihil deleta sit.

Inscriptione docemur tribunum et notarium Claudianum fuisse. Quodsi quis litteram C secundae lineae inscriptionis pro nomine „consulari" positam esse iudicat, sine dubio errat, quod omnibus in monumentis eodem sensu invenitur et nomina honorum non una littera significantur, sed nomen totum pingitur. Neque usquam Claudianum consulem fuisse occurrit. Atque certe poeta, si fasces obtinuisset, quum alias honores commemoraret aut tangeret, summi sibi delati honoris, qui ad clarissimos viros solos ac principes deferretur, minime esset oblitus.

Si quem epigrammatis tabulae subscripti laus modum excedens offenderit. etiam hodie eadem exaggeratio videtur. In libello menstruo britannico, qui family herald inscribitur, anni 1869. enigma hoc scriptum me legere memini:

Three poets in three distant ages born,
Greece, Italy and England did adorn,
The first in nature and in thought surpass'd,
The next in majesty, in both the last.
The force of nature could no further go
To make a third, she joined the two.

Posita est statuta, postquam inter Stilichonis comites Romam devenit, an. p. Chr. n. aut 400. aut 401. Paulo post in Aegyptum abiit, ubi uxorem duceret. Eodem anno, quo statua, ordo senatarius poetae decretus est, quod magno ore praedicat 25, 8:

Oraque patricius nostra dicavit honos.
Annuit hunc princeps titulum poscente senatu.

Patricium honorem esse honorem a patribus habitum Gesnero interpretanti non assentiar, sed patris, senatoris dignitatem, ordinem senatorium esse mihi persuasi, ut 8, 6:

Patricios sumunt habitus,

et 28, 61:

Patricias(que) domos.

Atque Claudianum ordinis senatorii fuisse 16, 17 efficitur:

Princeps non aquilis terram cognoscere curat.
Certius in nobis aestimat imperium.

16, 7: Culmina Romani maiestatem(que) senatus:)

Hoc ego concilio collectum metior orbem;
Hoc video coetu, quidquid ubique micat.

Quodsi quis lapsu calami errorem irrepsisse et „vobis" esse legendum, quod codex Vaticanus habet, opposuerit, Ambrosianus, codex haud minus certus, qui „nobis" confirmat, mihi est fundamento, atque prima persona pluralis versu 9 „audimur" et 10 „ibimus" praecedit, et vers. 20 et 21 poeta se senatui adnumerat:

Hoc ego concilio collectum metior orbem;
Hoc video coetu, quidquid ubique micat.

Neque vero honores inanes vanaque nomina sola principum gratia poeta est nactus, sed alia eorum opera est consecutus, ut Serenae, Stilichonis uxoris, auxilio sponsam optatam Aegyptiam, fortasse Alexandrinam. Illi enim gratias agit epistola ad Serenam scripta (ex Aegypto) an. aut 402. aut 403., qua eam ad astra tollit et cum Junone comparat 40, 33:

Quod Threicio Juno placabilis Orphei,
Hoc poteris votis esse, Serena, meis.
Illius expectent famulantia sidera nutum.
Sub pedibus regitur terra fretumque tuis.
Non ego, cum peterem solenni more procorum,
Promisi gregibus pascua plena meis,
Nec quod mille mihi lateant sub palmite colles,
Fluctuet et glauca pinguis oliva coma,
Nec quod nostra Ceres numerosa falce laboret
Aurataeque ferant culmina celsa trabes.
Suffecit mandasse deam. Tua littera nobis
Et pecus et segetes et domus ampla fuit.
Inflexit soceros, et maiestate petendi
Texit pauperiem nominis umbra tui.

Nuptias non Romae neque in Italia celebratas esse ex 40, 49 apparet:

Atque utinam sub luce tui contingeret oris
Coniugis et castris et solio generi
Optatum celebrare diem! Me iungeret auspex
Purpura, me sancto cingeret aula choro!
Et, mihi quam scriptis desponderat ante, puellam
Coniugiis eadem pronuba dextra daret!
Nunc medium quoniam votis maioribus aequor
Invidet et Libycae dissidet ora plagae,
Saltem absens, regina, fave reditusque secundos
Annue sidereo laeta supercilio.
Terrarum tu pande vias; tu mitibus euris
Aequora pacari prosperiora iube!

Verba „Libycae plagae“ Africam et „mitibus euris“ et „medium aequor“ mare mediterraneum perspicue pingunt.

Quando nuptiae sint actae quandoque in Italiam redierit, etsi claris verbis non enarratur, tamen e carm. 25. et 26. colligitur. Nam poetam et plurium annorum otium degisse et Roma afuisse et an. 403. Romae denuo commoratum esse et paulo ante redisse dilucide nuntiat 26, 450:

Ipso Roma die, nec adhuc ostenditur auctor,
Personuit venisse ducem laetisque Quirites
Vocibus auspicium certi plausere triumphi,
Muniti Stilichone suo. Quis gaudia vero
Principis, amplexus alacris quis disserat aulae?

Pulveris ambiguam nubem speculamur ab altis
Turribus, incerti, socios apportet an hostes
Ille globus; mentem suspensa silentia librant,
Donec pulvereo sub turbine sideris instar
Emicuit Stilichonis apex et cognita fulsit
Canities,

et 25, 1: Post resides annos longo velut excita somno
Romanis fruitur nostra Thalia choris.
Optatos renovant eadem mihi culmina coetus
Personat et noto Pythia vate domus.
Consulis hic fasces cecini Libyamque receptam.
Hic mihi prostratis bella canenda Getis.

Bellum Geticum aut pugna Pollentina an. 403. commissa est et paulo post carmen cum praefatione scriptum. Atque ante id otium plurium annorum statuam esse positam 25, 6 illustratur:

Prior effigiem tribuit successus ahenam.

Ex eo tempore poetam Romae vixisse verisimile est. Quod in panegyrico in sextum Honorii consulatum huius ex Ravenna Romam iter copiosius describit, non est argumento eum inter regis comites fuisse, quum eam Italiae partem iam antea peragrasset ideoque penitus pernosset et ab aliis accepta exponere posset.

De reliqua vita fontes sunt rari, e quibus hauriamus; duo restant carmina, quae eius aetatis sunt, laus Serenae et epistola ad Hadrianum, qui intra an. 397. et 405. magister officiorum et praefectus praetorio intra an. 412. et 416. fuit, e quibus carminibus pauca colligere possimus; aliunde nihil certi memoriae est proditum. Quin laus Serenae Stilichone vivo ac florente sit coepta, non est dubium; nam 29, 82 rem integram ac florentem fortunam spirat:

Alio tum parvus in axe
Crescebat Stilicho votique ignarus agebat,
Debita cui longe coniux penitusque remoto
Orbe parabatur tanti concordia fati,

et 29, 177:

Te non Hesperidum pomis, non amne subacto,
Non socerum fallente rota, sed iudice dignus
Augusto variis Stilicho spectatus in armis
Accipit et regni dotes virtute paravit.
Saepe duces meritas bello tribuere coronas.
Hunc cingit muralis honos, hunc civica quercus
Nexuit, hunc domitis ambit rostrata carinis.
Solus militiae mira mercede iugalem
Promeruit Stilicho socero referente coronam,

et 29, 195:

Ut semper merito princeps, cum magna dedisset,
Deberet maiora tamen.

Carmen mutilum et sine dubio Stilichonis caede est interruptum; sero id factum esse primis versibus:

Dic mea Colliope, cur tanto tempore differs
Pierio meritam serto redimire Serenam?

et extrema parte, ubi iam curae ac timores Stilichonis fortunam vergentem monstrant, docemur, 29, 228:

Dum gentibus ille
Confligit, vigili tu prospicis omnia sensu.
Ne quid in absentem virtutibus obvia semper
Audeat invidiae rabies neu rumor iniquus.
Ne qua procul positis furto subsederit armis
Calliditas nocitura domi.

Alterum carmen, epistola ad Hadrianum, Stilichone peremto scriptum esse epistola ipsa gravi est documento. Stilicho enim, cuius tutelae Theodosius moriens imperium ac filios commiserat, et quem propter virtutem ac consilium affinitate dignatus erat, qui Africam, etiamsi non manu, tamen consilio et prudentia recuperarat et reiecto Alarico et Radagaiso deleto Italiam bis servaverat, cum odio et insidiis invidorum hominum, tum Honorii, triplici affinitate coniuncti et cui firmissimo praesidio fuerat, suspicione, coniurationis et consensus clandestini cum Alarico facti insimilatus, an. 408. trucidatus est. Neque Stilichonem caesum satis habebant ac de omnibus et propinquis et familiaribus supplicia sumpserunt. Itaque interitus Stilichonis, qui a primo in Italiam adventu Claudiani fautor fuit, cuius gratia erat provectus, cuius uxori divitem sponsam debuit, cuius laudes semper cecinerat, poetae summae calamitati ac periculo fuit. Judice Claudiano clarissimos viros pristinorum temporum reipublicae Romanae superavit Stilicho, Fabricios, Curios, Fabios, Marcellos, Scipiones, itemque Serena illustrissimas antiquitatis feminas praecedit 33, 10:

Dignius an vates alios exercuit unum
Femineae vitutis opus?

et 33, 19:

Anne aliud toto molitur carminis actu
Maeonii mens alta senis?

et 33, 33:

Non tamen audebunt titulis certare Serenae
(Tanaquil, Cloelia. Penelope, aliae).

Stilichonis gratia odium et invidia adversus poetam sunt commota. Quae cum ita essent, Stilichone suisque caesis et magna amicorum strage facta Claudianum in omnium rerum perturbatione sibi timuisse non est mirum, etiamsi epistola ad Hadrianum non relicta esset, qua metus ac timores clare pinguntur. Si quis e ver. 6:

Me dolor incautum, me lubrica duxerit aetas

et ex 31:

Secuit nascentia fata
Livor,

epistolam ab adolescentulo Claudiano esse scriptam coniecerit, poetam aliquid excusare, quod prius peccaverit, opponam, atque eo anno, quo Stilicho oppressus est, grandi eum natu non fuisse ex nuptiis, quae sexto anno ante fuerunt, colligas. Verba „nascentia fata“ tempora pristina minime dicunt ac nihil nisi sero poetam in' Hadriani amicitiam venisse monent. Et verba vers. 23 „gratia diffluxit“ quamquam meliorem condicionem priorem indicant, tamen tempus, priusquam in Ita-

liam venisset, cogitare non cogunt. Atque primo Romam adventu nobillissimis et potentissimis fautoribus, Aniciis, Probino et Olybrio et brevi post Stilichone ac Honorio est usus Hadriani gratia nusquam commemorata. Omnia se illorum favore consecutum esse 40, 43 et 46 confitetur:

Tua littera nobis
Et pecus et segetes et domus ampla fuit,
Texit pauperiem nominis umbra tui,

et 42, 15:

Incipiens(que) tui a fascibus omina coepi
Fataque debebo posteriora tibi (Probino).

Tota epistola grave malum exprimitur; inopia rerum, solitudo. amicorum caedes et exilia poetam affligunt, quod videas ex 39, 2:

Nullus tot finis lacrimis?

et ex 23:

Gratia diffluxit, sequitur feralis egestas,
Desolata domus, caris spoliamur amicis.
Hunc tormenta necant, hic undique truditur exsul.
Quid superest damnis? Quae saeva pericula restant?

et ex 32:

Livor et ingesto turbavit gaudia luctu.
Jam iam suppliciis fessos humilesque, serenus.
Respice!

Epistola deprecatio est poetae, qua libere a se Hadrianum laesum esse fatetur et veniam rogat 12:

Veniam confessus crimina posco.

Sed qua re Hadrianus sit offensus, ex epistola non plane intelligitur. Carminibus Hadriani iram motam esse verisimile est, et exstat de Theodoro et Hadriano hoc epigramma:

Mallius indulget somno noctesque diesque
Insomnis Pharius sacra, profana rapit.
Omnibus hoc, Italae gentes, exposcite votis,
Mallius ut vigilet, dormiat ut Pharius,

quod, cum plerisque irae causa appareat, ab Heinsio reiicitur; nam in epigrammatum numero compluria aliorum aut christianorum aut alterius Claudiani sunt; plures autem Claudianos notos esse, ut philosophum, ut comitem orientis, nisi lapsu calami nomen est mutatum, aliis locis explicatur.

Ab aliis etiam novam odio flammam adiectam esse 39, 4 illustratur:

Tantumne licebit
Invidiae? Tantum strepitus valuere maligni?

Timores non vanos fuisse cum tota epistola, tum vers. 1 und 2 sunt testimonio

Usque adeone tuae producitur irae?
Nullus tot finis lacrimis?

et 11: Excessit iam poena modum. Concede iacenti!
et 25: Hunc tormenta necant; hic undique truditur exsul.
Quid superest damnis? Quae saeva pericula restant?
et 45: Quae per te cecidit, (per te) fortuna (resurgat)!

Humillimis precibus Hadrianum implorat, per superiorem amicitiam 2:

Subitis ne favorem
Permutas odiis?

et 52: Comitem me pelle sodalis,

per clementiam et pium sensum 3 et 4:

Quo sensus abiere fui?

per communem patriam 55:

Irruat in miseros cognata potentia cives!
Audiat hoc commune solum longeque carinis
Nota Pharos flentemque attollens gurgite vultum
Nostra gemat Nilus numerosis funera ripis,

per dignitatem Hadriani 21:

Hunc (Alexandrum) virtus tua digna sequi.

Hostibus victis et iacentibus Herculem, Achillem, Alexandrum pepercisse, quos Hadrianum imitari deceat, refert; Aetate, impetu animi, imprudentia se peccasse excusat 6:

Me dolor incautum, me lubrica duxerit aetas,
Me tumor impulerit, me devius egerit ardor.

Se pro culpa ultra modum poenas dedisse queritur 11:

Excessit iam poena modum. Concede iacenti!

At quamquam humillimis indignisque precibus adversarium cumulat 41:

Hoc pro supplicibus ramis, pro fronde Minervae,
Hoc carmen pro ture damus. Miserere tuorum!
Me, precor, heu me redde mihi! gravibusque medere
Vulneribus vitamque iube famamque reverti.
Quae per te cecidit, per te fortuna resurgat,

tamen dolorem et indignationem non occultat, ut animo quodam commoto exclamet 21:

Quemcunque deorum
Laesimus, insultet iugulo pascatque furorem,

et 50:

Quodsi nec precibus fletu nec frangeris ullo,
Eripe calcatis non prospera cingula musis.
Eripe militiam! Comitem me pelle sodalis!
Scilicet insignes de paupere vate triumphos!
Scilicet egregiis ornabere victor opimis!
Irruat in miseros cognata potentia cives!

Qua deprecatione Hadrianus utrum sit commotus et poeta conservatus an eadem, quae ceteri Stilichonis amici, passus, apertum non est itemque igitur, Romaene manserit, si extrema effugisset, an id quod nonnullis placet, Alexandriae litteris deditus diem supremum obierit.

Neque minus incertum est, hicne poeta eorum, quae sub Claudiani nomine relicta sunt, poematum Graecorum sit auctor. Attamen res aliquot civitatum Graecarum Graeco sermone conscriptas iam veteres huic Claudiano tribuerunt.

Quod Seldenus et Gothofredus Claudianum comitem orientis faciunt, nihil afferre possunt, quod firmo certoque sit argumento. Nituntur in lege de Judaeis, Caelicolis (Galilaeis?), Sama-

ritanis inscripta Arcadio et Honorio coss. (an. 396.) ad Claudianum, comitem orientis. Opinio congruenti nomine et tempore confirmari videtur. At, constansne sit lectio „Claudianum", est dubium. Editio enim Parisiensis habet Claudium. Quod si verum est nomen, difficultas tollitur. Sin „Claudianum" legendum esse probabitur, duae inprimis sunt res, quae Seldeni et Gothofredi opinioni obstent. Non tenui mihi momento esse videtur poetam tali muneri nondum maturum eo tempore fuisse, quum in epistola ad Hadrianum scripta „lubricam" aetatem excuset, atque postquam Romam venit, inter Stilichonis comites erat usque ad annum 400. Jam autem ann. p. Chr. n. 395. Romam venisse Claudianum suo loco ostendi. Quid? Id munus neque in tabula statuae positae non ante an. 400. legitur, neque usquam a poeta eius fit mentio. Atque quum semper Stilichoni addictus ne Arcadio ipsi quidem parceret, haud verisimile est ab hoc poetae provinciam commissam esse. Iis enim ipsis temporibus carmina in Rufinum scripsit, et an. 397. Stilicho in Graecia Getas bello persequebatur et Arcadio postulante Graecia cessit 3, 314:

Vetat ille (Rufinus) domari
Innectitque moras et congrua tempora differt.
Nam tua cum Geticas stravisset dextra catervas,
Ulta ducis socii letum, parsque una maneret
Debilior facilisque capi, tunc impius ille
Proditor imperii coniuratusque Getarum
Distulit instantes eluso principe pugnas
Hunnorum laturus opem, quos affore bello
Norat et invisis mox se coniungere castris.

Hic locus esse videtur de poetae fide ac religione disserendi, quantum ex operibus, quae relicta sunt, cognosci poterit, qua de re Merianus copiosius disputavit. Qui Claudiani aetati sunt proximi scriptores, Augustinus et Paulus Orosius, paganum eum claris verbis dicunt, ille de civitate dei V. 26: Unde et poeta Claudianus, quamvis a Christi nomine alienus, in eius tamen laudibus dixit:

(7, 96) O nimium dilecte deo, cui fundit ab antris
Aeolus armatas hiemes, cui militat aether,
Et coniurati veniunt ad classica venti!

hic hist. adv. pag. VII, 35: Quando unus ex ipsis, poeta quidem eximius, sed paganus pervicacissimus huius modi versibus et deo et homini testimonium tulit, quibus ait:

O nimium dilecte etc.

Quorum opinio carminibus confirmari videtur; patrios enim deos retinet et preces ad eos tendit; 3, 334 Stilichonem precantem introducit.

Mavors, nubifero seu tu procumbis in Aemo,
Seu te cana gelu Rhodope, seu remige Medo
Sollicitatus Athos, seu caligantia nigris
Ilicibus Pangaea tenent, accingere mecum
Et Thracas defende tuos! Si laetior adsit
Gloria vestita spoliis donabere quercu.
Audiit illa pater.

18, 210 exclamat:

Non pudet heu, Superi.

Theodosium in colloquio cum Honorio habito deos esse credentem facit 8, 276:

Sis pius inprimis! Nam cum vincamur in omni
Munere, sola deos aequat clementia nobis.

5, 480 animas ab aliis post mortem ad alios transire persuadet:

Juxta Rhadamanthus agit. Cum gesta superni
Curriculi totosque diu perspexerit actus,
Exaequat damnum meritis et muta ferarum
Cogit vincla pati. Truculentos ingerit ursis
Praedonesque lupis. Fallaces vulpibus addit.
At qui desidia semper vinoque gravatus,
Hunc suis immundi pingues detrudit in artus.
Qui iusto plus esse loquax arcanaque suevit
Prodere, piscosas fertur victurus in undas,
Ut nimiam pensent aeterna silentia vocem.
Quos ubi per varias annis ter mille figuras
Egit Lethaeo purgatos flumine. tandem
Rursus ad humanae revocat primordia formae.

7, 162 Theodosius decedens in deorum numerum refertur:

Nec plura locutus,
Sicut erat, liquido signavit tramite nubes
Ingrediturque globum lunae lumenque relinquit
Arcados et Veneris clementes advolat aures.
Hinc Phoebi permensus iter flammamque nocentem
Gradivi placidumque Jovem stetit arce suprema.

et 15, 253:

Et si non cupidis essem praeruptus ab astris.

5, 455 Inferos eosdem, quos Vergilius habet, 26, 249 idem de prodigiis:

Sed gravius mentes caesorum ostenta luporum
Horrificant. Duo quippe lupi sub principis ora,
Dum campis exercet equos, violenter adorti
Agmen et excepti telis immane relatu
Prodigium miramque notam duxere futuri.
Nam simul humano geminas de corpore palmas
Utraque perfossis emisit bellua costis.
Illo laeva tremens, hoc dextera, ventre latebant
Intentis ambae digitis et sanguine vivo.
Scrutari si vera velis, fera nuntia Martis
Ora sub Augusti casurum prodidit hostem.

Idem de divinatione:

Per somnos mihi, sancte, pater, iam saepe futura
Panduntur multaeque canunt praesagia noctes,

et 22, 216:

Ominibus ventura notant aut alite monstrant
Aut monitos certa dignantur imagine somnos,

idem aliis locis. At quod Claudianus penitus veterum ingenio et sententiis perfusus canit, argumento gravissimo esse non potest Claudianum fidei patriae addictum et a religione Christianorum alienum fuisse, quum totum poesis epicum genus fidei antiquae coniunctissimum crevisset ac floruisset. „At Claudianus Christianorum fidei illusit“, dicat quis. Et documento epigramma in Jacobum magistrum equitum a nonnullis habetur; sed spurium esse videtur, etsi Barthius et Heinsius, viri doctissimi, genuinum putant. Nam cetera epigrammata, quae mentem christianam spirant, si non Claudiano alteri tribuuntur, at spuria a viris doctis putantur; in his Heinsius Claudiano ea minime tribuenda esse censet. Atque 18, 312 superstitionis omne genus ludibrio dat:

Atque inter proprias laudes Aegyptia iactat
Somnia prostratosque canit se vate tyrannos.
Scilicet in dubio vindex Bellona pependit,
Dum spado Tiresias enervatusque Melampus
Reptat ab extremo referens oracula Nilo.

Huic loco lucem afferet Aug. de civit. dei V, 26: Hic (Theodosius, qui Augustino auctore magis orando quam feriendo pugnavit) in angustiis curarum suarum non est lapsus ad curiositates sacrilegas atque illicitas, sed ad Joannem in Aegypti eremo constitutum, quem dei servum prophetandi spiritu praeditum fama crebrescente didicerat, misit atque ab eo nuntium victoriae certissimum accepit. Quod a Sozomeno copiosius narratur 7, 22.

19, 37 praesagia irridentur:

Miror cur, aliis qui pandere fata solebas,
  Ad propriam cladem, caeca Sibylla, taces?
Jam tibi nulla videt fallax insomnia Nilus,
Pervigilant vates nec, miserande tui,

et 26, 544: Non somnia nobis
Nec volucres, sed clara palam vox edita luco est:
Rumpe omnes, Alarice, moras. Hoc impiger anno
Alpibus Italiae ruptis penetrabis ad urbem.
Huc iter usque datur. Quis iam post talia segnis
Ambigat aut coelo dubitet parere vocanti?
Sic ait hortatusque suos belloque viaeque
Instruit. Attollunt vanos oracula fastus.
O semper tacita sortes ambage malignae
Eventuque patens et nescia vatibus ipsis
Veri sera fides! Ligurum regione suprema
Pervenit ad fluvium (miri cognominis) Urbem,
Atque illic domitus vix tandem interprete casu
Agnovit dubiis illusa vocabula fatis.

26, 226 oracula et omina timore genita et vana esse confitetur:

  Utque est ingenioque loquax et plurima fingi
Permittens credique timor, tum somnia vulgo
Narrari, tum monstra deum monitusque sinistri.
Quid meditentur aves, quid cum mortalibus aether
Fulmineo velit igne loqui, quid carmine poscat

Fatidico custos Romani carbasus aevi.
Territat assiduus lunae labor atraque Phoebe etc.
Noctibus aerisonas crebris ululata per urbes.
Nec credunt vetito fraudatam sole sororem
Telluris subeunte globo.

8, 570 fraudem sacerdotum describit:

Sic numina Memphis
In vulgus proferre solet. Penetralibus exit
Effigies; brevis illa quidem; sed plurimus infra
Liniger imposito suspirat vecte sacerdos,
Testatus sudore deum.

5, 440 diis diffidit:

Desinat elatis quisquam confidere rebus
Instabilesque deos ac lubrica numina discat.

Quare mihi neutri religioni addictus fuisse videtur, quae res haud raro in Aegyptiis ea aetate inveniebatur. Summam fidei paucis tradit 8, 99:

Illi iustitiam confirmavere triumphi,
Praesentes docuere deos. Hinc saecula discant
Indomitum nihil esse pio tutumve nocenti.

Et quanta severitate animi exclamat 18, 157:

Quam bene dispositum terris, ut dignus inique
Fructus consilii primis auctoribus instet.

sequuntur exempla, et 3, 1:

Saepe mihi dubiam traxit sententia mentem
Curarent superi terras, an nullus inesset
Rector et incerto fluerent mortalia casu.
Nam cum dispositi quaesissem foedera mundi
Praescriptosque mari fines annisque meatus
Et lucis noctisque vices, tunc omnia rebar
Consilio firmata dei, qui lege moveri
Sidera, qui fruges diverso tempore nasci,
Qui variam Phoeben alieno iusserit igni
Compleri solemque suo, porrexerit undis
Littora, tellurem medio libraverit axe.
Sed cum res hominum tanta caligine volvi
Adspicerem laetosque diu florere nocentes
Vexarique pios, rursus labefacta cadebat
Religio, causaeque viam non sponte sequebar
Alterius, vacuo quae currere semina motu
Affirmat magnumque novas per inane figuras
Fortuna, non arte regi, quae numina sensu
Ambiguo vel nulla putat vel nescia nostri.
Abstulit hunc tandem Rufini poena tumultum

Absolvitque deos. Jam non ad culmina rerum
Iniustos crevisse queror. Tolluntur in altum
Ut lapsu graviore ruant.

Post mortem alteram ac sempiternam esse vitam 35, 282 exponit:

Sunt altera nobis
Sidera, sunt orbes alii, lumenque videbis
Purius Elysiumque magis mirabere solem
Cultoresque pios. Illic pretiosior aetas,
Aurea progenies habitant, semperque tenemus,
Quod superi meruere semel,

et 35, 300 omnes post obitum pares esse:

Purpurei venient — reges
Deposito luxu, turba cum paupere mixti.
Omnia mors aequat. Tu damnatura nocentes,
Tu requiem latura piis,

et 8, 225, animas non interire cum corporibus explicat:

Disce orbi, quod quisque sibi. Cum conderet artus
Nostros aetheriis miscens terrena Prometheus,
Sinceram patrio mentem furatus Olympo
Continuit claustris indignantemque revinxit.
Et cum non aliter possent mortalia fingi,
Adiunxit geminas. Illae cum corpore lapsae
Intereunt; haec sola manet bustoque superstes
Evolat.

Quae pium animum spirant et severitatem religionis summam ostendunt poetamque non speciei vel nomini, sed rei honorem tribuere, quamquam aliquot loci a materialismi — sit venia verbo — suspicione non abhorrent, ut 33, 57:

Qui finem cunctis et semina praebes
Nascendique vires alterna morte rependis,
Qui vitam letumque regis; (nam quidquid ubique
Gignit materies, hoc te donante creatur
Debeturque tibi certisque ambagibus aevi
Rursus corporeos animae mittuntur in ortus.)

Etenim colebat numen, nomen pro nihilo habebat. Itaque a nomine et christiani et pagani alienus esse potuit. Atque idem vult Augustinus, quum nomen abiudicat. Paulo Orosio, qui adversus paganos scripsit, displicuit Claudianus, quoniam pristinam maiestatem Romanam cum religione antiqua coniunctam cecinit, neque mirum; pagani enim eius aetatis omnes calamitates in neglectos deos patrios contulerunt. Aperte vero poetam se paganum professum opinari id ipsum vetat, quod gravissimis poenis suppliciisque eos, qui diis sacrificassent, affici leges a Theodosio latae iusserunt, etiamsi honoratissima militia et res praeclare gestae nonnullis impunitati fuerunt.